Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſeptimâ Novembris.

M. FRANCISCO LE RAT, Doctore Medico, Præſide.

An humorum morbifica Diſſolutio, & Concretio, ſemper ab acidô?

CAUSAS morbificas ad unum vel duo capita revocare, jejunior & compendioſior medicina eſt. Aliàs periti ac imperiti res ægrorum perindè tractarent, hoſque ſors eadem maneret; neque ullus eſſet obſervationum, & curioſæ rerum inveſtigationis fructus. Si jure olim rejecta eſt celebris illa calidi, frigidi, ſicci, & humidi hypotheſis; quâ ſe ratione tueatur hodierna & vulgaris, quæ præter acidum & alcali agnoſcit nihil? Abſit ut ea ſint prima rerum principia, quorum quæ circumferuntur definitiones, nihil aliud offerunt, quàm partes acutas & poroſas ſeſe invicem excipientes: impares profectò quæ cæteras materiæ figuras, alioquin innumeras, earúmque vires & proprietates complectantur. An ab acidô & alcali, aut eorum alterutrô, lumen hoc, quô fruimur & cujus momentanea in hunc orbem diffuſio? Quî ejus reflectio & refractio fieri & explicari poſſint; cum ubique oblongis illis & acutis corpuſculis obviæ ſint aliæ particulæ aſperæ & poroſæ, quas illa facilè ſubeunt, quibuſque tota abſorbentur? Quî ſtabit perennis ſanguinis motus? Quî grati ac ſuaves excitentur, cùm odores, tùm ſapores? Certè materia ætherea & ſubtilis, quæ aëri ſupernatat, & ex quâ formantur aſtra & cometæ, aliam ab acidô & alcali originem habet; [a] quæ quid aliud ſunt quàm moles per ſe otioſa ac iners, unius terræ fœtus. Coctionem, fermentationem, præcipitationem, aliundè derivari, quàm ex acidi & alcali occurſu, acida cum acidis, alcalia cum alcalibus, ſulphurea cum ſulphureis, fermenteſcentia ſatis ſuperque evincunt. Ad fermentationem id unum requiritur, ut quæ miſcentur corpora ſeſe invicem excipiant: iſtô enim novi corporis in aliud ingreſſu, materia ætherea, à quâ omnis motus, anguſtioribus coercita locis, hùc & illùc impetu factô erumpit. Nequè magis appoſitè acidum & alcali ſola mixtorum elementa ſtatueris. Longè plures ſunt aliæ ab iis facultates, & ad tuendam, deſtruendamve ſanitatem vires. Æquè peccant qui humorum morbificam diſſolutionem ab alcali, concretionem ab acidô, aut utrumque morbi genus à ſolô acidô volatili vel fixô deducunt; à volatili quidèm febres cauſodes, eryſipelata, pleuritides, anginas &c. à fixô calculum, catalepſim, ſtrumas, &c.

[a] David Martinus Riga Livonus differt. acid. alcali.

QUANDIU ſanguis, cœterique humores, jugi & laudabili cientur motu, mixtique & aptè inter ſe contemperati ſunt; tunc valet, effloreſcitque corpus univerſum. At ubi perenni illorum motui quid vitii accedit, aut ex his aliquis ſui quaſi juris factus reliquis præpollet, eorum vel diſſolutio, vel concretio, præcipua morborum genera, ſubnaſcantur neceſſe eſt. Utriúſque non una ſed multiplex differentia: alia repentè fit; alia gradatim; quædam ab immodicô æſtu ſeu fermentatione; quædam ab animalium venenatorum morſu; quædam ex malignô aëris miaſmate procedit. Nullam vel ſeroſæ colluviei, vel obſtructionis, vel tumorum ſpeciem reperire eſt, quæ ad concretionem, diſſolutionemve referenda non ſit. Utramque uni putredini nè attribuas. Alii ſunt ab eâ concretionis & diſſolutionis fontes. An à putredine ortum ducunt quæ de ſubitô fiunt? an quæ fermentationem ſequuntur, quæque ab ictu viperæ catervatim irruunt ſymptomata, ea putredini omnia imputaris? Ipſamet febris, quam putridam vocant, interdùm ſinè putredine eſt, quemadmodùm ſinè febre nonnullas obſervabis putredines. Hujuſce rei fidem faciunt lues venerea, ſcorbutus, quæ vitia ſemper putredo, raró febris, comitatur. Quandiù ſuis in vaſis continetur ſanguis, putredine tentatur nunquàm. Nec objicias tubercula ſeu puſtulas quas variolas nominant, ſanguinis è venâ ſectâ emiſſi pravos colores, vermeſque è vaſis cùm ſanguine interdùm erumpentes. Primô ſub caſu putredinem non contrahit ſanguis, niſi in cutem ſubjectaſve partes effuſus: in alterô degeneres & pravi illiûs colores non putredinem, ſed vel extraneos humores admixtos, vel effluxûs modum, vel aëris plures, paucioreſve, quibus perfuſus eſt, particulas, ſui cauſas agnoſcunt. Sub ultimô tandèm vermiculi in ſanguine naſcuntur, ſed ſemina ſunt cum potu cibiſve, vel aëre, ſanguinem ingreſſa, quorum particulæ evolutæ explicatæque ſenſim molem acquirunt, & ex inconſpicuis evidentes fiunt. Quantò meliùs febres, morboſque alios repoſueris in vitioſâ quâdam diſpoſitione ſeu texturâ humorum, qui mole ut plurimùm minimi, vi contrà maximi, & ſummè actuoſi, fermenti inſtar ſeſe propagant, diffunduntque in vicinos. Vim hanc facilè intellexeris, ſi ſpecificorum remediorum naturam, ipſorumque vires ſedulò exploraris. Cortex Peruvianus, Pulvis Marchionis cum Cinnabari Antimonii, Scrophularia, Ipecacuanha, habent à ſolâ ſuâ texturâ, fermenti morbifici texturæ contrariâ, quòd ille febres intermittentes, alter Epilepſiam, tertia hæmorrhoidas dolentes, quarta denique dyſentericos affectus, ſanent: niſi malueris, humoribus morbificis, eorumque ſpecificis ſimul coeuntibus (è quorum mixtione novæ texturæ concretum emergit) ejuſmodi curationes referre acceptas.

HUMANUM corpus alimentis potiſſimùm immutatur, & aëre. Aër & alimenta variis conſtant moleculis, quarum aliæ acidæ, aliæ amaræ, aliæ acerbæ, & auſteræ, aliæ dulces, & inſipidæ &c. Jàm verò cur penès ſolas acidas, reliquis ſopitis & otioſis, vis & dominii jus erit? cur ſolæ, depreſſis aliis, eminebunt? cur illæ tantùm texturam morbificam fermenti æmulam, proximam morborum cauſam, humoribus inducent? an quod ſuô, nos ambiens aër æſtivus, calore, ſpirituoſam ſanguinis ſubſtantiam exhaurit; aut hybernus, frigore, frigidiſque atomis de novô inductis majorem humoribus noſtris acidi copiam ſubminiſtrat? Exhaurit quidèm aër æſtivus quod tenue & ſubtile eſt; ſed priùs tamèn quàm ità diſſiparit, ut acidum ſummâ rerum potiatur, quod amarum æſtuoſumque eſt, acuat & evehat neceſſum eſt: Undè & vigente æſtate morbos à bile furentes ut plurimùm graſſari videmus. Similiter qui vernô tempore affligtant morbi, an ab abſumptis ſpiritibus, an ab acidis in dies ſuccreſcentibus proveniunt? Vernus aër tùm ob radios ſolis nequè obliquiores nequè directiores, tùm ob gratos odores è floribus expirantes, quibus locupletatur, ſpiritus non ſolùm recreat & reficit, ſed etiàm naturâ renaſcente acidi vim obtundit & frangit. Illiûs beneficiô morbi chronici, febreſque etiàm quartanæ autumnales & hyemales, nullis anteà remediis ſuperabiles, ſenſim evaneſcunt. Hinc anginæ, pleuritidis, peripneumoniæ cæterorumque vernalium morborum generatio aliundè quàm ab acidô deducenda. Suæ ſunt certè aliis ab acidô facultatibus amaris, dulcibus aliiſque idgenus ad nocendum vires, ſi exuperent ſeſequè à reliquarum complexu expediant. Senſus fortaſſe non adeò acriter ferient earum aliquæ, ſed non ea propter minùs pertimeſcendæ, quas idcircò ad τὸ θεῖον veteres retulere. Si ab aëris calore frigoréve acidi vis aut copia augetur, cur ſub iiſdem conſtitutionibus, ſimilibuſque penès calorem & frigus annis, non iidem ſemper morbi? cur interdùm contrà deſæviunt? Ut morbi non ſemper reſpondent anni tempeſtatibus; ità ex aëris calore vel frigore non omninò æſtimanda eſt illorum natura. Præterquàm quòd peſſima quandóque ſanguini inuritur labes à nonnullis corpuſculis è terræ viſceribus prodeuntibus, quæ nullatenùs afficiunt ſenſus. Diverſæ ſunt caloris & frigoris ſpecies, quæ ut à variis emergunt fontibus, ità planè diſſidentes edunt affectus; alius enim calor, aliud frigus quod ſolis ſequitur motum, multùmque diſcrepans ab eô, quod à ventis & quibuſdam terræ exhalationibus procedit. Qui initio peripneumoniæ hyemalis, emetica commendat, fruſtrà perhibet non alios hyeme, quàm crudos & acidos generari humores.

AGE verò quod ex febrifugis petitur argumentum, an validiori ratione fulcitur? amara ſint illa, an ideò morborum, ac maximè febrium omnium, cauſa eſt acidum? Id ſi ità eſt, Aloe, Centaurium minus, Fumaria, Scordium aliáque id genus ſummè amara, ad fugandas febres cortici Peruviano anteponas oportet, quibus amaritudine plurimùm cedit, & ſtypticâ inſuper qualitate cùm donetur, acidi particeps haberi debet. Sed & amara an alkalinæ omnia naturæ? an ſola febrifuga? nunquid & acidis quibuſdam vis illa febrium domitrix ineſt? nunquid & aliis quæ & acidis amariſque particulis conſtant? Febrium non una materia eſt. Sæpiùs à bile ortum ducunt: hanc teſtantur ſitis, oris amaritudo, diarrhæa bilioſa, pulſus vehemens & magnus, calor acer, animi anxietas, jactatio corporis, delirium & cœtera febrium ſymptomata, quæ ſalium volatilium quibus bilis turget, characterem præſeferunt. Nugantur qui hos inter tumultus bilem otioſam jacere & paſſivè ſeſe habere, in animum inducunt ſuum. Fruſtrà oggeris cum ex acidis, aliquis in febribus percipitur fructus, febres illas à certô quôdam & ſui generis acidô, natas, cui oblatum remedii locô acidum nomine tantùm conſentiat, reverâ autem adverſetur, atquè hoc, reſpectu illiûs, gerere alcali vices. Quamvis varia ſint acidi diſcrimina, non ità tamen alterum ab alterô diſtat, ut perſeverante acidi naturâ, alkalinam ſimul obtineat. Sed hôc datô, quî morborum cauſas internoſces? quî propria unicuique affectui remedia aptabis? An ex ſaporibus? At iis fidem demit, qui acida quædam inter alcali recenſet. Præterea ſi intermittentium continuarumque febrium parens eſt humor acidus, cur horror rigorve ineunte illarum acceſſione ut plurimùm, inchoantibus autèm harum exacerbationibus rariſſimè, deprehenditur? ſi reponas acidum in febribus continuis eſſe volatile, in intermittentibus fixum; dic amabo, quî hoc accenditur & intrà unam horam fit volatile & febrem facit? cur ex adverſô idem acidum fixum, quod cachexiam, ſcorbutum, hydropem, alioſque contumaces affectus, ſæpiùs febris expertes, producit, non accendatur, nequè volatile fiat, febrium author eô nomine futurum? Non felicior ad medendum hæc hypotheſis. Innumeræ ſunt acidorum ſpecies, ſuis unaquæque propriis & aptis oppugnanda remediis. Hanc autem aſſequi aptitudinem non tàm artis quàm fortunæ munus. Res planè dubia eſt & plena periculi; maximè quod ea ſit plerorumque alcalium indoles, ut in eorum uſu non impunè peccetur; humores ſopitos excitant, motos exaſperant, & ſæpè novos generant. Deinde illæ acidorum ſpecies, licet innumeræ, nec pares ſunt ſingulis cauſis morbificis penitùs comprehendendis. Hypochondriaca affectio non ab unô ſyncerôque acidô, ſed ex pluribus ac planè diverſis etiam penès genus ſubſtantiis, derivatur. Cauſa illiûs parens, humor eſt non abſimilis ſali ammoniaco ex tribus ſubſtantiis omninò diſſidentibus conflatô, ſale ſcilicet communi quod acidum eſt, ſalibus volatilibus urinæ quæ alcalia dicuntur, & fuligine, mixtô corpore. Cave itaquè ſi ſalia exhibueris volatilia ad ructus acidos huic morbo familiares, ne pars acris quæ acidô vincta eſt, tunc libera & juris ſui efferetur, atque ægrotantis caput tentet, uti non ſemel contingit; haùd ſecùs ac in ſale ammoniacô, ſpiritus urinæ quandiù ſunt acido impliciti, ſtant quieti; admixtô verò ſale tartari, aut calce, ab invicem ſoluti ſtatìm incandeſcunt. Ut magis candidè, ſic ſecu riùs, ſe gerunt, qui fatentur ingenuè ſibi non perſpectas ſingulas rerum ſpecies, & converſô animô, ad id, quô communis omnium morborum natura continetur, medendi methodum ſimul inſtituunt, quæ ſingulis convenire queat fermentationibus; vel ſi ſpecificis uti neceſſitas cogat, ea ſeligunt quæ leviorem in cruore pariunt tumultum; & ſi quandò res redactæ ſunt ad anguſtias, periclitantur quidèm, ſed circumſpectè & ſapienter, videlicet exemplis ducti longo uſu comprobatis, documentiſque naturæ fidelibus, non verò audendi legibus, & pœnæ ſubductâ fiduciâ.

QUAMLIBET concretionem morbificam ſoliûs acidi ſobolem eſſe, chymiſtarum commentum. Id quidèm videtur coagulandi, ſed per accidens, ubi nimirùm partes nanciſcitur fibroſas & ramoſas, ut in lacte & ſanguine; aliàs ſolvit & dividit mixtorum compagem. Si ejus figuram ſpectes, acuta cum ſupponatur, ad diviſionem potiùs apta nata eſſe videtur, quàm ad coagulationem. Sagitta vibrata in lanam vel aliud ſimile corpus ramoſum eam non ſolvit, ſed magis ac magis implicat; an idcircò ad diviſionem minùs à naturâ comparata eſt? Perperàm clamitant nonnulli ſalia concreſcere; an ſingula ſunt è genere acidorum, & ſola hæc denſantur? ſalia alcalia tùm volatilia, tùm fixa perindè concreſcunt ac acida. Corallus totô genere acidis infenſus mediis in aquis lapideſcit: nec quodlibet ſerum è ſpecûum fornicibus depluens, ex quo efformantur columnæ, nec quælibet aquæ fontium, quibus, quæ immerguntur etiam ligna, in lapidem vertuntur, ſapore ſunt acida. Si quæ dantur acida, videlicet alumen, oleum vitrioli, ſpiritus ſulphuris &c. quæ ſanguinem coagulant; extant & alia, nitrum nempè, ſal commune, ſal gemmæ quæ eundem à coagulô præſervant. Spiritus quidam nitri acidus non ignis torturâ, ſed ſoliùs ſulphuris interventu paratus, ſudores potentiſſimè movet. [b] Flores cynaræ ſylveſtris latifoliæ, qui ſubamarum ſapiunt, ſanguinem perindè, ac lac cogunt & denſant. Quid plura? Abunô eôdemque acidô, prò diverſâ parte affectâ, ſolutio & coagulatio producuntur. Luis venereæ virus, quod acidum vocant, ſi carnes, proſtatas, ulcera, inflammationes; ſi oſſa, nodos; ſi inguina, bubonas; ſi extremas pudendorum partes, cancroſa ulcera; ſi denique habitum corporis impetit, puſtulas ſingulari ac diverſô charactere donatas infert. Similiter ſalia fixa & volatilia, quæ alkalia habentur, ad ſolutionem & diviſionem potiùs nata, quàm ad concretionem ſi in partes ramoſas impingant, qualia ſunt ſulphurea corpora, in unum coguntur & concreſcunt, uti ex ſapone palàm eſt, & ex illâ concretionis ſpecie quæ fit ex ſpiritu urinosô ſalis ammoniaci cùm ſpiritu vini defœcatiſſimô. Porrò concretio ſæpiùs pendet ex ſubjecti aptitudine, quàm ex cauſæ efficientis naturâ: hæc promiſcuè fit ab acidis, ab alkalibus, aliiſque corporibus omninò diſcrepantibus. Certè naturam ſpiritûs vini, ut cæterorum ſulphureorum corporum, minùs perſpectam habet qui acida illa eſſe profitetur. [c] Ex ſpiritûs vini diſtillatione ad libram unam, ſolummodò elicitur ſalis volatilis drachma ſemis, reſiduum verò, liquor eſt planè inſipidus. Spiritus ſulphurei quid ſunt aliud quàm quid medium aquam inter & olea? Ex oleis æthereis ſalia volatilia nullô negotiô eruuntur quamprimùm ſuis vinculis ſoluta ſcilicet viſcoſâ & reſinoſâ materiâ. Si oleo aniſi vel fœniculi ſpiritum vitrioli affundas, non levis exoritur ebullitio. Iniquè etiam olea per expreſſionem acida appellantur, ut potè quæ quamplurima ſint acria. Ridiculum ſanè quod afferunt ex oleo olivarum, cupro affuſô, vitriolum evocari. Aqua ſimplex & ſpiritus urinoſus ſalis ammoniaci acidis infenſiſſimus, idem multóque citiùs præſtant. Sulphur quidem commune acidum eſt, non quatenùs ſulphur, ſed quatenùs eſt concretum ex ſale vitriolatô, & ex ſulphure. [d] Subſannandi profectò ſunt, qui ex prædictâ mixturâ ſpiritûs vini cum ſpiritu urinoſô ſalis ammoniaci in quandam concretionis ſpeciem deſinente, acriter pronuntiant, catalepſim, (quæ ſpirituum animalium coagulatio dicitur) fieri ex ſimili occurſu ſpirituum acidorum & alkalium; [e] hincque calculi generationem deducunt. Multò magis culpandi ſunt, qui ubi aliquod concretionis genus obvium eſt, illicò ad alkalia confugiunt, fallacibus pleniſque periculi deluſi exemplis. Ex effectibus æquivocis, cujuſmodi ſunt humorum ſolutio & concretio, neque cauſæ morborum internoſcuntur, neque agendorum remediorumque indicatio aptè elicitur.

[b] Scolymus Dioſcoridis.

[c] Arragoſius ad Cratonẽ epiſt. 55. p. 73.

[d] Martinius de urinæ anatom. c. 14° p. 251.

[e] Helmontius de lithiaſi. c. 3°. & 4°.

Ergò humorum morbifica Diſſolutio, & Concretio, non ſemper ab acidô.

Domini Doctores Diſputaturi.

M. Franciſcus le Rat, Præſes.	*M. Petrus Bonnet Bourdelot, Medicus Regis, perpetuò ord.*	*M. Mathæus Thuillier.*
M. Ludovicus Labbé, Academiæ Cenſor.	*M. Joſephus Thomaſſeau.*	*M. Carolus Marteau.*
M. Andreas Enguehard, Profeſſor Regius.	*M. Ludovicus Poirier.*	*M. Antonius le Moine.*

Proponebat Lutetiæ GILBERTUS PUYLON, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.